

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Verecundia n
cum fonte primo

Quid amabilius uerecundo adolescente?
Quam pulchra et quam splendida
gemma morum est uerecundia in uita et
uultu adolescentis! Quam uera et minime
dubia bone spei nuncia, bone indolis
index, uirga discipline,

expugnatrix malorum, propugnatrix
puritatis innate, specialis gloria
consciencie, fame custos, uite
decus, uirtutis sedes, uirtutum primicie,
nature laus et insigne tocius honesti!

Bernardus super Cantica sermone
LXXXVII.

Quid amabilius uerecundo adolescente?
Quam pulchra haec, et quam splendida
gemma morum in uita et
uultu adolescentis! Quam uera et minime
dubia bonae nuntia spei, bonae indolis
index! Virga disciplinae
est illi, quae pudendis affectibus
imminens, lubricae aetatis actus
motusque leues coerceat, comprimat
insolentes. Quid ita turpiloquii et omnis
deinceps turpitudinis fugitans? Soror
continentiae est. Nullum aequae
manifestum indicium columbinae
simplicitatis, et ideo etiam testis
innocentiae. Lampas est pudicae mentis
iugiter lucens, ut nil in ea turpe vel
indecorum residere attentet, quod non
illa illico prodat. Ita
expunctrix malorum et propugnatrix
puritatis innatae, specialis gloria
consciencie est, famae custos, uitae
decus, uirtutis sedes, uirtutum primitiae,
naturae laus et insigne totius honesti.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones
super Cantica canticorum*, 86, 1 (SBO 2,
J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais
eds., p.317, ll.13-24).